



Elf. 59.5.

an 2627

Q. B. F. F. S.
DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA,
qvâ
MARE MASORETHI-
CVM INFIDVM,
Specimine notabili, monstratur,
INDVLTV
AMPLISSIMÆ
FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ
IN CELEBERRIMA NORICORVM ACADEMIA,
SVB PRÆSIDIO
PRÆNOBILISSIMI EXCELLENTISSIMIQVE
VIRI ac POLYHISTORIS,
DN. DANIELIS GVILELMI
MOLLERI,
Comitis Palatini Cæfarei, Philosophiæ
primæ & Historiarum Professoris Publici,
nec non *ab.*
Bibliothecæ Altdorfinæ Præfecti Celebratissimi,
Spectatissimique h. t. Decani,
PRO OBTINENDIS IN PHILOSOPHIA
SVMMIS HONORIBVS
Examini publico exposita
à
JOHANNE ISER, Wermelandia-Sveco,
ad Diem VI. Calend. Julias A. MDCCVIII.
Literis MAGNI DANIELIS MEYERI.

DIESER TATTO HISTORICO ESTIGIA
MARIE MAGDALENE
CVM INDIAM
LACIATI PHILOSOPHIE
DN. DANIELI CALLEMI
MOLINUS
C. dicitur P. Julianus C. et. M. L. Molinopius
PRO ORTHODOXIA IN PHILOSOPHIA
Johanne Iser, Wittenburgensis
F. Petri Wittenensis Diverses Meister
+7

I. N. F.

CAPVT I.

De Fontis Hebrai Biblici Conservatione.

§. I.

Deu^r Erlustrantibus nobis Codicis Hebræi fata, tam singularis & incredibilis pene in eo ab interitu vindicando conservandoque Judæorum curæ & diligentia deprehensa est, ut rem altius non introspicientibus videretur soli hujus gentis industriae deberi, quod hodie bibere liceat fontes Hebraicos incorruptos; Præsertim comparatione institutâ (liceat sic parvis componere magna) cum antiquorum Græcorum Romanorumque scriptis, satis feliciter ad nos transmissis, solâ Virorum eruditorum curâ & diligentia. Sed quantum Divina humanis præstantiora, in tantum difficilius opus erat librorum sacrorum quam profanorum ab interitu vindicatio; utpote quibus conservandis non sufficeret, quantumvis acres, curæ & improbi oculatissimorum criticorum labores, licet in iis tuerendis humana hæcce subsidia non adspersatum sit Supremum Numen. Ipsum enim populum, cui pretiosissimus hic thesaurus traditus erat ut custodiretur, tot bellis debilitatum, tot attenuatum exiliis, tot tamque gravibus servitutum jugis colla subdere coactum legimus, ut qui vicissitudines tam miserandas paulo diligentius secum reputaverit, miretur quemquam ex hac gente cladibus suis esse superstitem, ut taceam ereptos quoque ignibus libros, sacra eorum continentest. Quam solearint namque in populorum gentiumque devestationibus pes-

A 2

sum

sum ire religiones & quidquid ad divinos pertineat cultus, notius est, quam ut necesse sit exemplis demonstretur; præsertim ubi devicta gens sacris addicta sit, quæ Victori profana & superstitionis habeantur. Hinc (ut Sciens & Volens præterea quam crudeliter, solo religionis odio, sævitum sit in hanc gentem ab Imperatoribus Græcis, quorū immanitatis exemplis historia temporum Maccabaicorum est referta) instituta Judæorum profana, sinistra, prava, foeda dicuntur *Tacito*, quo tanto justius eos ab *Vespasiano* subactos demonstret.

§. II. Hæc omnia e longinquo prævidens Deus, singulari prudentiâ effecit, ne thesaurus hic compilaretur, etiamsi universa res publica, quam tamen ipse constituerat, everteretur funditus. Tot namque providâ Ipsius sapientiâ descripta & describenda omnino erant exempla Codicis Sacri, ut non verear affirmare difficilium fuisse hostibus Ecclesiæ, quantumvis sagaci bus, ea omnia, non solum per Judæam, sed multas alias orbis partes disseminata, investigare ut flammis absumerentur, quam singulos miseræ gentis cives ex tenebris cavernis & specubus, quibus se abdiderant, ad crucem & patibula profræhere. Ea quippe arte tamque mirâ temperie religionem Judaicam summus Legislator Statui eorum Politico innexuit, ut, quid dicam cultum divinum? ne vitam quidem civilem privatamque, in singulis familiis ducendam, recte riteque instituere quisquam posset, sine Legi Divinæ codice, ejusdemque diurnâ nocturnaque pervestigatione; quod absque summa codicum ubertate fieri potuisse, absurdum est cogitare. Tot insuper mandatis studi um legis à Deo Judæis injunctum legimus, ut qui inde non agnoscat ingentem sacrorum librorum inter Judæos copiam, ini quis sit & prorsus impius in ipsum Deum, tanquam juuentem ut libri legerentur, quorum copia deficeret lecturos.

§. III. Quamquam hac ratione satis firmo in ædificata fundamento viderentur omnia, quæcumque ad Sacri Codicis, in se cutu-

cutura omnia secula, perennitatem facere possent; tamen, ne li-
bero & vago hominum arbitrio res tanti momenti relicta cre-
deretur, ut **מִתְחַדֵּשׁ** ut Maimonides loquitur, præceptum affir-
mativum promulgatum est Deut. 31. v. 19. ut Codicem hunc
sibi describerent omnes Israëlitæ: **וְעַתָּה כֹּהֵן לְכֶם אֱתָה חִזְרָה וְאַתָּה שִׁירָה** *Nunc autem scribite vobis canticum istud.* Non me
latet quam acriter inter eruditos, tam de verbo **כֹּהֵן** quam
voce **שִׁירָה** discepitur; Cuivis tamen, in rem & circumstan-
tias ejusdem altius inquirenti, patet, per **שִׁירָה** intelligi totam
legem Mosis, & sese extendere ad universum Israëlis coe-
tum. Carmen enim, quod heic describi jubetur, tale erat, ut
testimonium esse posset inter Deum & Judaicam gentem initi,
quemadmodum indicant verba posteriora hujus ejusdem ver-
sus, quò si à fœdere defecisset altera paciscentium pars, defe-
ctus iste, hoc cantico, tanquam normā, examinari posset, o-
mnibusque inde constaret non solum utriusque partis, tam læ-
fæ quam lædantis conditio, sed & quas poenas hæc illi, ex pa-
ctis conventis dare deberet, quæ, & multa alia, ab legitimis &
idoneis fœderum instrumentis ac testibus jure requiruntur.
Hæc omnia autem, si quis dixerit Cantico Mosis ultimo conti-
nenti, ex eo deducat oportet, non solum universam legem mo-
ralem, sed & ceremonialem & forensēm; in quibus omnibus
junctim consistebat fœdus, à quo post Mosis mortem defectu-
rum hunc populum prædictum ipse Deus *vers. 16.* hujus ejusdem
capitis, quod factū impossibile; vel affirmet Deum sapientissi-
mum tale constituisse bonitatis & justitiae suæ, nec non malitiæ
& injustitiæ, in alterā paciscentium parte, testimonium, quod
præstanta præstare nequiret, quod absurdum, ne quid gravius
dicam. Præterea ipsum illud, quod (**לְזִ**) in testimonium fu-
turum esse dicitur, & *vers. 19.* **שִׁירָה** appellatur, vocatur **סִפְרָה**
vers. 26; unde sequitur aut geminum constitutum fuisse
testimonium unius ejusdemque rei, alterum scilicet ab ipso Deo,

alterum à Mose; quod nulla fronte afferi potest; aut satendum in utroque loco rem eandem proponi, indeque concludendum, Scripturam Sacram tam in hoc, quam multis aliis locis, ipsam sui optimam esse interpretem; quod cum rei veritate omniumque orthodoxorum Theologorum consensu pulcherrime convenit. Denique Canticum hoc ab ipsis Judæorum magistris pro lege tota sumitur; ut in *Gemar. ad Mischn. de Sanhedrin cap. 2.*
 י. 12. אָמֵן פִי שָׁהָנוּ הַזֶּה לְאַתָּה אֲבֹתֵינוּ סְפִר תּוֹרָה מְזוֹרָה
*etiamsi à Parentibus relictus cuiquam liber legis,
 jubetur tamen ipse describere, q.d. nunc autem scribete vobis hoc
 carmen, ut verba hæc, à Coccejo latina civitate donata, extant
 in ejusdem ex Gemara excerptis. Sic ipsi quoque Majmonidi
 sumitur, Hilc. Tphil. cap. 7. וְעַתָּה כִּנְחָנוּ לִכְסָם אֶת הַשִּׁירָה כְּלָוָמָר
 כִּנְחָנוּ לִכְסָם חֻווָה שִׁירָה זוּ לְפִי שָׁאוֹן כּוֹחֵן אֶת הַחֻווָה
 & nunc scribete vobis hoc canticum: quasi dicere
 ret, scribete vobis legem, in qua est hoc canticum. Neque enim
 scribunt legis parashas, sive sectiones, frustulatim, quemadmodum
 locum hunc exponit Schik. in jure Reg. Hebr. cap. 2. Nec
 est quod vox שִׁירָה quemquam moveat, ac si nunquam nisi de
 Cantico, metrica vel rhythmica arte composito, usurpari sole-
 ret; notum enim est, adhiberi hoc vocabulum *Ezai. 5. v. 1.*
 אֲשִׁירָה נָא לְיִדְרֹיו שִׁירָה דָּוִרְיוֹ לְכַרְמָלָה
 in quo cantico neque metri neque rhythmi ulliusve prosodaicae accentuationis vestigium
 adparet. Idem quoque judicium fiat de שִׁירִים qui liber
 inter metricos minimè reponitur, licet fronti hunc titulum
 inscriptum gerat (quamquam vel metrum certum vel justum
 tam in hoc Mosaico, quam reliquis sacræ paginæ canticis rhythmum
 ostendere, hoc opus hic labor, fatentibus viris eruditissimis,
 antiquam in Hebræa Gente Carmina pangendi rationem
 hodie nobis esse prorsus incognitam) neque שִׁיר simpliciter &
 proprie aliud significat, quam actionem, quâ vox in varios so-
 nos & modulatus inflectitur, nullis metri rhythmicæ vinculis
 adstri-*

adstrictos; quo sensu avium quoque cantus carmen dici apud Poëtas constat: ut *Virg. l. IV. 460.*

*Solaque culminibus ferali carmine bubo
sæpe querit &c.*

§. IV. Operæ jam pretium erit, ut paucis quoque disquiratur, utrum verbum οὐτοῦ solum Mosen & Josuam strinxerit, an vero populum Judaicum universum. Non diffitemur Mosen & Josuam solos ad Divinum, de quo hoc capite agitur, nominatim evocatos colloquium, ut patet ex *vers. 14.* at non simpliciter hoc accipendum; tanquam principes enim totius multitudinis Israëliticæ aderant; atque hinc Deus multitudinem ipsam, per Duces ejusdem, alloquitur; quæ Synecdoches Species in Scripturis Sacris minimè rara; ut *Exod. 12. 1. 2. Et dixit Dominus ad Mosen & Aharonem in terra Egypti. Mensis iste erit vobis principium Mensum: is primus erit vobis in mensibus Anni.* Soli autem Mosi & Aharoni, quibuscum heic colloquitur Deus, hoc dictum esse quis credat? cum hæc computi Judaici ratio, in ordinandis anni mensibus, non solis Mosi & Aharoni, sed omnibus Israëlitis, eo tempore viventibus, nec non filiis quoque horum serisque nepotibus esset observanda. Nec parum roboris firmitudinisque sententiæ nostræ accedere videtur, si perpendatur e rei magnitudine dignitateque fuisse, ut Divini hujus fœderis tale constitueretur testimonium, quod *nec ignis nec ferrum nec edax abolere vetustas* posset, sed æternum perduraret. Si autem Mosi & Josuæ hoc describendi Codicis Sacri negotium solis statuatur injunctum, sequitur testimonium istud dudum evanuisse. Periisse namque αὐτόγενος Mosis certum est, & quidem, ut communiter creditur, in conflagratione urbis & templi primæ; ut silentio præterea qualia exemplum, quod ab Josua descriptum supponimus, manserint fata; cum altum de eo, tam apud sacros

sacros, quam profanos Scriptores silentium. Ut igitur ab interitu vindicaret Deus, non ἀνῆγος οὐδὲ Mosis, utpote cui non erat adstrictus, sed legem suam sanctissimam, illud inter Deum Judaicamque gentem aeternum duraturum testimonium, voluit ut ab Israëlitis reliquis describeretur, quo per ubertatem & continuam codicis hujus multiplicationem damnum istud, quod temporis injuria, variisque casibus, tam ἀντεῖχε οὐδὲ Mosis, quam exemplaribus aliis inferri posset, compensaretur; Vix aliter ac novâ & quotidiana hominum prognatione reparatur ista jactura, quam facit mortale genus de quotidie morientium turbâ; manetque ita in sua mortalitate *agmen immortale*. Celebriores jam adeamus Judæorum magistros, mandatum hoc, de lege describendâ, ad Israëlitas omnes sese extendere affirmantes. Locus, quem supra ex *Gemara* adduximus, manifestissime asserit, unumquemque Israëlitam ex hoc *Deut. cap. 6. vers. 1* adstrictum fuisse, describere sibi librum Legis, etiamsi exemplum ejusdem a parentibus ipsi esset relictum; videantur verba ipsa pag. 6. Sic quoque *Majmonides*, iste Rabbinorum Coryphæus, ut Schikardo audit, locum hunc exponit *Hilc. Tphil.* עשה על כל איש ואיש מישראל לכתוב ספר התורה לעצמו טה וערתְּךָן quæ verba, Interprete Schik. ita redditâ sunt: *Præceptum affirmativum obligat universos Israëlitas, ut describat quilibet librum legis sibi, sicut dicitur: nunc autem &c. Majmonidi* jungimus, *R. Obadiam de Bartenora, ad Sankhedrin cap. 11.* (ubi licet de nulla legis agatur descriptione, agitur tamen de Summâ Codicum Sacrorum, inter Israëlitas, ubertate; cui demonstrandæ operam heic præcipue damus. Eò enim hæc nostra non tendunt, ut evincant, singulos Israëlitas, manu propriâ, codicem sacrum exarasse; Sed ut ostendant, eundem ab unoquoque debuisse possideri; atque ab aliis hunc sibi exarari curasse eos, qui ipsi scribere nescirent. Audiamus

חויב כל אודם מישראל להיוות לו ספר חורה .
 mus jam Bartenoriensem). Huic subnectimus Aben Esram , verbum ita exponentem : מצוה שיכתוב אותה משה גז כל מבין לכתוב ut describat eam Mose & quicunque possit scribere . Judicet nunc , ut ad modum hujus Rabbini loquar , quicunque potest judicare , quam innumerabilem pene codicum multitudinem oportuerit hac ratione fuisse procuratam , & juxta secum reputet , quam sapienter ab divinâ providentiâ , cuius ductu hæc omnia agebantur , itum sit obvium futuris quibuscumque causibus , priscorum Scriptorum ad posteros transitum vulgo impeditientibus . Sed objici nobis jure poterit , his omnibus non universi Codicis Hebraï , sed Pentateuchi solius propagationem evinci . Non diffitemur ea , quæ haftenus allata , primario de quinque libris Mosis intelligenda ; At inde non concludendum , defuisse ceteris S. Scripturæ libris suos descriptores . Quis enim sibi persuadeat (1) monumenta ab eodem spiritu profecta , (2) Ipsius Ecclesiæ Judaicæ consensu pro divinis agnita , (3) in canonem ab Esra ceterisque Viris θεοπνέουσι redacta , (4) ab Masorethis eâdem curâ diligentiaq; , quâ ipsi libri Mosis peruestigata atque recognita , (5) nec minus nobis , εἰς ἐξ τὰ τέλη τῶν αἰώνων κετηγυτοσιν , quam priscis Judæis , scripta & destinata , jacere neglecta potuisse ? Admodum igitur verosimile est , si non ab omnibus , quod tamen nemo temere negaverit , maximâ tamen Israëlitarum parte , ad minimum Sacerdotibus Sacerdotiique candidatis , Levitis , Judicibus , Senatoribus , Eruditis omnibus , singulis piis hominibus , nec non denique curiosioribus Legi subjuncta fuisse Scripta divina cetera ; admissaque tam æquâ hypothesi , non multo pauciora reliquorum librorum exemplaria , quam ipsius Pentateuchi , satis tuto supponi posse videtur ; præsertim cum non minus horum , quam ipsius Legis propagationem , Deo curæ fuisse censendum .

§. V. Verum cum in examinandis antiquorum Scriptis, eorumque ad posteros transmissu, non tam queri soleat de incondita descriptorum exemplorum mole, quam de eorundem interiori bonitate, & cum ipso ἀνταγωνιστῳ concentu; ne pro Junone nubem amplectantur lectores, & spurious progenuinis in sinum recipient, è re est, ut perspiciamus, quā fide & curā descripti sint ab Judæis Vet. Testamenti libri, quo firmiter reddatur spes illa, quam supra de felici eorundem ad seram posteritatem propagatione concepimus. De modo describendi Sac. Codicis, nullum in totâ Scriptura præceptum extat, præter illud *Deut. 27.8.* ubi lapidibus erigendis obducendisque calce inscribi jubeantur omnia verba legis quod LXX. reddidere per οὐφῶς σφόδρᾳ, admodum dilucide; consulenda itaque hac de re Scripta profanorum. Ubi primum omnium annotasse juvat libros sacros tam reverenter & devote ab Judæis haberi, ut nemini, teste *Majmonides Hilk. Tphil. 10. §. 8.* librum legis, nisi lotis manibus, tangere liceat: י'רְחֹצִי י'רְהָה וְאַחֲרֵךְ י'גָעֵו נְבֵי Nec solum illotis, sed & nudis manibus, h. e. sine involucro, eum arripere nefas erat, ut idem *Rambam* eodem cap. sed §. 6. nos docet: וְלֹא אַחֲרֵי כְּפָר הַוֹרָה כְּשֶׁהָא עֲרוֹת Porro dextrâ manu, honoris causâ, eum & ab aliis accipere & aliis rursus tradere tenentur; unde tanta dextræ præ finistrâ, apud Judæos, dignitas, ut nefas ipsis sit dextrâ sordes detergere non abstergunt dextrâ, sed finistrâ, eò quod ostendat illa accentus legis, ut est in *Mass. Berachot*; ut taceam festum שְׁמַת חִוָּה in solius Legis honorem institutum. Ex his conjici facile poterit quantâ diligentia, curâ, sollicitudineque oporteat ab Judæis describi Libros, quos tam sancte, ne dicam superstitione, coli videmus. Sed nimis largus sum. Licet enim hinc satis ac super concludi possit, fuisse Judæos, in hoc negotio, admodum accuratos, nemo tamen

tamen unquam, qui magistrorum eorum testimonia oculis non
subjecerit, animo concipere potest eorum in Codice Sacro exa-
rando curiositatem, utpote omnibus aliis gentibus prorsus in-
usitatam. Quam si cui volupe curatius lustrare, adeat instar
omnium, *Majmonidem in Hilc. Tphil. cap. 7.* Nos, brevitatis
studio, contenti brevem adduxisse ἀναφελαιών eorum,
quibus profana redduntur exempla manu exarata, ut inde
judicium fieri poterit de toto sacrae hujus Scriptoris negotio.
Viginti itaque sunt vitia, quorum singula totum volumen pro-
fanant, (1) pellis immunda bestie. (2) mundi quidem animalis,
sed non ritè parata. (3) non hac intentione parata. (4) incom-
petente loco conscripta. e. g. pergamenum carnis, membrana pè-
lorum situ. (5) exaratum in heterogeneis. (6) in corio. (7) abs-
que lineato. (8) atramento evanido. (9) alienâ lingua. (10) ab
hæretico vel inepto. (11) sine devotione Numinis. (12) ubi li-
terula deficit. (13) vel redundant. (14) aut vicinam tangit.
(15) character ambiguus, perversus, perforatus, obliteratus.
(16) nimis angustè vel latè distantes voces. (17) Spacia Para-
fcharum erronea. (18) Carmen ut prosa. (19) vel hæc instar
ellius. (20) debitùs nervis non ligatum. Hec ex Schickardo,
quaæ etiam in *Leudenni Philol. Hebr.* circa finem, paulo fusiis,
ex *Majmon.* excerpta comparent. Quamquam hisce multa
contineatur Judæorum superstitione, ea tamen, Deo rem bene
vertente, adeo felicem prosperumque nacta eventum, ut post
providentiam Divinam, necesse sit agnoscamus curiositati
huic, quamvis superstitione, deberi, quod etiam nunc possi-
deamus ipsa illa verba, quaæ olim Divinorum Scriptorum sa-
cro calamo profluxere. Mirari itaque convenit illos, qui
sustineant asserere, codicem Hebræum, Judæorum malitiæ,
esse corruptum. Sed antequam hinc digrediamur, faten-
dum, idem & heic nobis moveri posse dubium, quod ipsi no-
bis, in fine s. superioris objiciebamus, scilicet neque hæc ex-

tra Mosis Scripta esse extendenda. Verum quod attentione & curiositate non dissimili versati sint Judæi etiam circa libros V. T. ceteros, ex iisdem illis argumentis, quibus supra huic eidem objectioni obviam ivimus, deduci posse existimamus.

§. VI. Ad arumnabiles jam, & prorsus monstrosos, omnemque pene fidem supergressos *Masoretharum* labores pedem promovemus; quos sive in tumidam sui gloriam, ut *Schikardus in Bechin. Happerusch.* innuere videtur, sive in Codicis Sacri perennem conservationem suscepent, certum tamen est, hoc studio & labore insignem & prorsus inestimabilem nobis partam esse utilitatem. Hac namque operâ conati sunt integritatem Hebræi Codicis non solum confirmare, sed & eidem ita prospicere, ut ne quidem posterum ullam unquam subire posset mutationem: hinc *Elias vulgo Germanus.* אחר המעשה אשר עשו בעלי המסתורה א'י אפשר שונפְּתָא אֵין שִׁיפְּתָא חִילּוּחָא אוֹ שִׁינְגָּי בְּשֻׁוּם צ'ר' כָּל סְפִּיר הַמִּקְרָא Post opus, quod praesterunt *Masorethæ*, non est possibile, ut ceciderit vel (post hac quoque) cadat varietas aut alteratio in ullum latus omnium librorum Biblicorum. Unde non immerito dixerunt Magistri nostri p. m. *Masoreth* esse sepem legis, ut verba hæc in latin. ling. ab *Schikard. Bechinat Happerusch.* translata comparent, magnifica magis quam vera, si hodiernam *Masoræ* faciem spectemus. Singulorum versuum, singularumque vocum, imo omnium apicum, non solum in lege, sed universa Scripturæ Sacra V. T. calculum ab *Masorethicis* his magistris initum constat; Neque heic substitere; numeravere insuper quoties unaquæque litera Alphabeti Hebraici in universo Codice Sacro occurrat. e. g. (א) 42377 (ב) 38218 (ג) 29537 &c. Vid. *Buxtorf. Tib. part. I.* At ne sic quidem curiositati satisfactum putantes, eadem diligentia annotarunt, quoties literæ, quæ in fine vocabulorum positæ, finalium nomi-

ne

ne Grammaticis veniunt, in hac ultima sede inveniantur ut
 (6) 10981. (□) 24973 (1) 8719. &c. Vid. Bechin. Happe-
 rusch: hinc jure quodam suo ac merito singulari dū-
 cuntur. Quid in ceteris artis criticæ partibus præstiterint,
 de eo, instar omnium, consulatur Buxt. in saepius citata Tz-
 beriade. De calculorum verò Masorethicorum ^{אַתְּ בָּבֶל בָּבֶל} Bo-
 diernā non solum ab Eruditis inter Christianos, sed & i psis
 Judæis dubitatur, ita enim R. Joseph del Medico :
 רְבָנִים אָמְרוּ שְׁהָזָה סֹקֵחַ תּוֹרַה
 יְשָׁסַחֲנָה כְּבָבוֹא וְשָׁרָאֵל כְּבָבוֹא
 וְכָמוּ שִׁשׁ כְּנֶשֶׁת לְשָׁרָאֵל וְלְחַשְׁבָּן הַתְּהֻמָּה קְרֻבָּה לְפָנֵי
 Rabbini no-
 strī dicunt sexaginta sunt myriades literarum legis,
 quod est finis, seu ultimum vocabulum legis, & sicut sunt sexaginta Myriades animarum Israëlis. Juxta supputationem R.
 Saadia sunt octoginta circiter Myriades. Quomodo hoc sit in-
 telligendum & hac concilianda, ego non assequor. Deus illu-
 minet oculos nostros in adventu Messia Redemptoris nostri! A-
 men. Vid. Buxtorf. Tib. part. I. cap. XVIII. unde tam ipsa hu-
 jus Rabbini verba, quam eorundem interpretationem desum-
 simus. Quidquid sit, ut cum eodem Buxtorfio loc. cit. lo-
 quar, ex his tamen luculentter perspicetur, quanta horum homi-
 num fuerit industria, quam laboriosum studium, quantusq; ze-
 lus, ut integratatem Scriptura in omnem posteritatem, vel in
 minimo apice, inviolatam conservarent. Hinc tandem colligi-
 tur, propagationi Codicis Hebræi adfuisse omnia admini-
 cula, quibus conservari unquam, feliciterque ad seram poste-
 ritatem transmitti posset: Exaratio nimurum accuratissima,
 diligentissima recognitio, & uberrima exemplorum divulgati-
 o, providentia Numinis, ad finem optimum, cuncta diri-
 gente.

B 3 . CAP. II.

C A P. II.

De Masora Hodierna.

§. I.

VIdimus circa finem superioris Capitis Masoretharum in sacris recognoscendis libris diligentiam. Nunc, quo portum, quem petimus, tanto felicius ingrediamur, instituti ratio postulat, ut pauca, ad historiam & fata hodiernæ Masoræ pertinentia, superioribus addamus; Quò adpareat, quantum vel meritò eidem tribui, vel jure denegari possit. In stupendi itaque hujus Operis primam originem non anxii jam inquirimus. Sive enim Esram Virosque Synagogæ magnæ ejus auctores constituamus, cum Buxtorfio plurimisque Judæorum magistris; sive cum Elia Levita, Tiberiensibus hoc opus tribuamus; sive denique ab illis cœptos, posteris autem eorum, tam Tiberiensibus quam horum Successoribus continuatos hos labores afferamus, quæ sententia nec suis destituta patronis, tot ubique ac tantæ lese offerunt difficultates, ut nonnisi ab novo & redivivo quodam Buxtorfio componi posse videantur. Adeat igitur B. L. Tiberiada ab Buxtorfio extructam; famemque, in itinere tam diffici conceptam, restinguat cibis, quos palato suo convenientissimos ibi deprehenderit. Nos Tiberiade relicta Venetias pergimus, non ut indefessos harum Operarum auctores inquiramus, sed earundem, post tot Seculorum lapsus, tandem exortos videamus collectores impressoresque.

§. II. Circa primordia itaque *Seculi XVI.* cum Venetiis degeret celebris iste Typographus, *Daniel Bombergius*, Antwerpensis, quem Scaliger tres milliones Imperialium Officinæ suæ impendisse testatur, forte fortuna eò appulit *Rabbi Jacob ben Chajim*, *Judæus Afer*, Tunete profugus, *inque vete-*

veterum Hebreorum Scriptis Versatissimus, ut Buxtorfius loquitur. Novum hunc advenam impense sibi gratulabatur Bombergius, utpote cuius operam in dijudicandis, examinandis, corrigendisque Rabbinorum Scriptis admodum sibi utilem futuram prævideret. Itaque typographicæ suæ officinæ eum statim præfecit, insigni cum Republicæ literariae bono; præcipue cum alteram istam in folio Bibliorum Hebraicorum editionem moliretur, non solum paraphrasibus chaldaicis, variorumque Rabbinorum Commentariis, sed & suauis consilioque novi hujus Correctoris, observationibus Masoretharum, haec tenus à nemine unquam publicatis, ornandam. Quæ enim in Felicis Pratensis editione comparet Masoreticorum laborum collectio, initium potius huic, de imprimenda Masorâ instituto, quam novam & ab hac sejunctam constituit euram; ut nihil dicam de successu infelici Felicis hujus in inferendis suæ editioni Masoretharum notis; quas tam negligenter additas dicit Elias Levita, ut non dubitet afferere eum, qui has adposuerit, nescisse discernere inter sinistram & dextram suam. Unde Buxtorfius in præfatione Bibliis Basileensibus præmissâ, affirmat, hanc editionem, quæ re vera est primum Masorethici laboris impressum exemplum amisisse & nomen & laudem primæ editionis, Rab. Jacobî ben Chajim Biblii in lucem emissis.

s. III. Quantæ autem molis fuerit novum hocce opus condere, vix quisquam, qui eidem socias manus non admoverit, percipiat. Erat enim quidquid hodie ex Masora in Bibliis Bombergianis Buxtorfianisque collectum possidemus, per universum fere orbem, suo quodam fato, dispersum; vix aliter ac arborum folia, ingruente hieme, per diffusos campos dissipata, dilacerataque misere, nec quidquam fere minus, quam pristinam sui effigiem referentia, notare licet. Adeo ut majori quasi jure hoc R. Jacobî ben Chajim officium

gium herculeus dici mereatur labor, quam ipissimum ille, quem Hercules ipse perhibetur suscepisse & perfecisse in Augia stabulo purgando. Testantur enim Viri, eruditione clarissimi, Masoram, antequam imprimeretur, per innumera sacrorum librorum exempla fuisse divisam; & quidem ita, ut nullo in codice tota compareret. Sed à Viris doctis librorum sacrorum marginibus adscripta deprehendebatur; inque singulos libellos non nisi ea, ex his observationibus, conjecta fuere, quæ singulis horum codicum vel possessoribus vel scribis maxime arrisere. Ita enim *Elias Levita* in præfatione tertia: *וְהַסּוֹפֶרִים כָּוחֵי סְפִירֵי הַמִּקְרָא לְקַטְנוֹ מֵהֶם אִישׁ כָּל הַיּוֹשֵׁר בְּעַנִּינוֹ וְכָתוּבָם פְּבִיבָן הַגְּלִינוֹת לְמַעַלָּה וּלְמַתָּה יְשַׁׁחֲדָקָן וְיַשְׁׁקַדְרָן* *Scribae autem, qui de-scribebant libros biblicos, excerpterunt quisque quod sibi rectum videbatur, consignantes illud circum circa in marginibus supra & infra, hic prolixo, alter breviter, juxta magnitudinem compacture libri & parvitatem ejus.* Vid. *Buxt. Comment. Ma-foresh. part. I. cap. XIX.* exemplum autem codicis, hac ratio-ne scripti, exhibet nobis Vir Maximus *J. H. Majus*, in descrip-tione Codicis Durlacensis, de quo in *Vit. Reuchlini*. Consulatur quoque *Rabb. Jacob ben Chajim*, quo nemo melius novit, qua ratione Masora scripta fuerit, in Præf. Bibliis Bom-bergianis præfixâ. Quanquam non negandum criticas has notas in separatis quoque libris, seorsim, sine textu biblico exaratas fuisse. Majus enim Opus erat, quam ut tam artis spaciis includi posset. Separatos itaque quaterniones, seu folia separata sibi postulabat, ut cum eodem *Eliâ* loquar: *וְגַם מֵה שָׁנְמַאֲנָא כְּחֻוב הַסּוֹפֶרִים אַיְנוּ אֱלֹא קָצֵר סְפִירֵי הַמִּקְרָא כִּי וּרְאֵי כָּלֵי הַמִּזְבְּחָה לֹא כְתָבוּ וְבָרְחוּ סְבִיב הַגְּלִינוֹת* *הַגְּרָלה כִּי וּרְאֵי כָּלֵי הַמִּזְבְּחָה לֹא כְתָבוּ וְבָרְחוּ סְבִיב הַגְּלִינוֹת* *כִּי קָצֵר הַמִּזְבְּחָה וְהַרְשָׁעָה קְטוּנָה מְהֻכָּל אֶת כָּל וְבָרוּחָם:* *אֲזַה Præterea quod reperitur scrip-tum in marginibus librorum (biblicorum) non est nisi com-pendium*

pendium ex Masora magna. Constat enim Autores Masoræ non scri-
psisse verba sua circa marginem, cum brevius ibi fuerit stratum,
quam ut extendere se in eo possent, & cortina minor, quam ut con-
tinuisset omnia verba ipsorum; sed scripserunt ista in separatos
quaterniones sive separata folia, ut verba, Interpretate Buxtorfio,
latine sonant. Vid. Comment. Masor. loc. cit. Hæc posterio-
ra Elia verba, de prima Masoræ forma intelligenda sunt.
Quod autem supra dixit, & nos cum illo asseruimus, eam
marginibus Codicum Sacrorum fuisse inscriptam, referen-
tum ad tempora nobis viciniora, eamque faciem, quæ Rabbi
Jacob ben Chajim eam offendebat. Hinc non difficile erit
lectori videre quam oporteat hodiernam Masoram esse mu-
tilam & truncatam, utpote quæ tota comprehendatur mar-
ginibus Bibliorum Buxtorfianorum, si folia ista excipientur,
quæ ad calcem hujus operis sunt rejecta. Sed revertamur
ad collectorem nostrum. Postquam tandem & ære ingenti
& labore arumnabili, ut ipse in supra memorato præloquio
testatur, collecta essent fragmenta vel schedulæ, quotquot
uno tempore unius hominis cura & industria colligi pote-
rant, & dilacerata ista folia examini critico subjiceret novus
hic ex Africa hospes, tam invenit ea corrupta, ut deploran-
dam singulorum faciem non melius sibi videretur posse ex-
primere, quam instituta comparatione inter ea domosque
ægyptiacas, cæde primogenitorum adeo universim atratas,
ut nulla earum esset, in quæ non jaceret mortuus. Multa e-
nim, imo perquam multa, aliis locis aliisque quam deberent,
foliorum marginibus erant annotata, sibique sæpius contra-
ria, e. g. Masora textualis habet ינש ינ ad versum ultimum
capitis XII. Josuæ; Finalis vero ad vers. 26. capit. sequ. Ea
vero singula in suum restituere locum quanti fuerit labo-
ris, quantæque molestiæ, vel ii quodam modo conjicere
possunt,

possunt, qui non nisi bis vel ter exiguo quodam Masoretharum circello, per levem descriptoris vel hypothetæ errorem, sive quidem paginæ, non tamen sive voci literæve adscripto, sunt decepti; ut ceteras in detritis vetustateque exesis manuscriptis Codicibus difficultates molestiasque obrepentes prætereant. Prodeunt tandem ab A. 1523 ad 1526, teste Bartoloccio, vel 1528, ut habet Buxtorf. in *Bibliotheca Rabbin.* nec non Kortholt in *de variis Sac. Script. editionibus* famosa ista Bombergiana Biblia, quibus ut supra dictum, hodiernam Masoræ faciem & structuram debemus. Quam correcti autem & emaculati hac prima vice prodire potuerint hi Masoretharum labores, non equidem nostrum est dijudicare; quamquam nos minime latet ea esse fata Scriptorum antiquorum, ex schedulis & codicibus manu exaratis primum edendorum, ut raro, vel rectius, nunquam sine vitiis & quidem iis quamplurimis in lucem prodeant. Exemplorum fœcundam segetem præbere poterunt pleraque Romanorum Scriptorum, ut ceteras omittam, primæ impressiones. Hinc Buxtorfius in *Praefatione Bibliis Basileensis* præmissa (quæ, quia in omnibus exemplaribus non habeatur, indicasse juvat, extare eam in Codice Bibliothecæ publicæ Altdorfinae) *hæc talia*, loquitur de variis in Masora hodierna erroribus, *in prima editione, in quâ ex manuscriptis Codicibus omnia excubabantur, fuisse commissa, non est mirum; at in sequentibus editionibus à correctoribus Hebreis ista non fuisse depresa vel correcta, inexcusabilis est sordida.* Per sequentes editiones heic reliquas ex Officina Bombergiana emissas intelligi, dubio carere videtur; de quibus consulatur Bartoloccius *Biblioth. Rab. Tom. IV.* nec non Buxtorfius loc. cit. quamquam in his recensendis non parum illum ab hoc, & hunc ab illo discedere constat, sed qui dissensus talis est, ut nullo negotio componi possit, cum ad illustrationem rei nihil requiratur, nisi sola

sola Codicum istorum, de quorum agitur publicationibus,
copia, quā jam destituimur. Postquam teste, uti vidimus,
Buxtorfio, Masoræ vitia ex magnis illis Bombergianis in re-
liqua Veneta Biblia essent derivata, Judæis obstetricias ma-
nus ubique præbentibus, tandem & ipse Basileæ hos sacros
Codices recudere cœpit, non tamen ad *Bragadinum*, ut af-
ferit *Bartoloccius* (utpote ex quo non nisi folia quædam, per
Judæos ad Buxtorfium essent allata, cum sub prælo jam su-
darent Basileensia) sed potius ad exemplum *Johannis de Ghara-*
ra, in Officinâ Bombergianâ, quamquam hoc neget *Barto-*
loccius, impressum. Vid. cit. *Buxtorfi Præfat.* Quid autem
in hac editione præstatum sit in corrigendâ Masorâ, ipse si-
gnificat in castigationibus in eandem, tertiam partem Tibe-
riadiis constituentibus. Sublatos autem sic esse errores om-
nes, quis sustinebit asserere? Hinc perspicax ille Gallorum
criticus *Rich. Sim. Crit. Sac. lib. I. cap. 25.* Il y a néanmoins
encore beaucoup de confusion dans cette Massore; & l'on de-
meure d'accord, que cellui, qui l'a compilée n'en a pas ôté tou-
tes les erreurs. Buxtorfe, qui en a corrigé quelques-unes y en
a encore laissé un grand nombre. Ipse quoque Buxtorfius in
Præfat. ad Masorethicum hunc Commentarium in hæc erum-
pit verba: *Nec tamen credas, omnia esse correcta & emenda-*
ta; nunquam enim ordine in singula inquisivi, sed prout quæ-
que nunc hic nunc illuc obviam accederent, ita ad censuram
vocavi. Multa, non dubito, superant, ad qua examinanda
hinc patebit aditus. Id satis mirari nequeo, quā factum, quod
magnus hic orbis literati heros, inter emendandum cetera
graviora sphalmata, non correxerit simul famosum istum, &
tam perspicacis lyncis oculos minime fugientem errorem, in
Masora finali, ad calcem Historie Josue, existentem, quo falso
asseritur, non esse ultra 656 versus totius libri; cum tamen
certo certius debeant esse 658. ut in sequentibus, per Dei

gratiam demonstrabitur. Sed vereor hos Reipubl. literariæ proceres in quibusdam nimis indulssisse suis Judæis. Ita enim Apellæ isti suum ceperunt Leusdenium (ne quis existimet solos Buxtorfios sub jugum illorum redactos) ut ne notas quidem marginibus Pentateuchi, in *editione Athiana* alias, quam antiquas quasdam, ab nescio quo Hispano Judæo, Hispanâ lingua primum fabricatas, dein ab alio ejusdem gentis homine in latinam translatas, addere auderet! En aliud mancipatae servitutis signum: *Versus ieros duos 36. & 37. capituli XXI. Josue* (quibus, DEO favente, vindicantis, hoc quidquid est laboris, impendimus) huic eidem Athiano Codici inserere non sustinuit, quia Veneta & Basileensis Biblia eos excluderint, Rabbi David Kimchi non approbaverit, & Masora non admiserit! Vid. *Prof. Bibl. Athian.* quasi Veneta Basileensisque Biblia essent divina αὐτήν τοι, R. D. Kimchi tantæ auctoritatis, ut quidquid IPS. E in Codicibus Sacris non approbasset, profanum esset, & bruto quodam fulmine in nescio quos deturbanum expurgatorios Indices, quasi denique sub obsequio fidei tenendum, *Masoram hodiernam esse infallibilem!* Animi gratiâ Maforetham tantisper agam, dum exemplo simplici monstravero, quam sit periculosum, sine examine ea omnia admittere, quæ admittit hodierna Masora. Secundum Masoram debent esse 315280 totius codicis hebræi characteres. Rudi calculo & hypothesi satis æqua eundem numerum examinavi, & quidem hac ratione: In *Biblia Athiana* (ad quorum exemplum plurima alia sunt descripta, ut *Clodiana*, tam priora, quam posteriora, *Jablonskiana* & *Hoogthiana*) sunt in unaquaque pagina plena 28. lineæ; in unaquaque linea plena 30. minimum literæ, sepius tamen 31, 32, 33, imo 34 & fortasse plures, pro varia literarum conditione. Secundum hanc minimam hypothesin, tribuentem singulis lineis 30 li-

30 literas, continent singulae paginæ 840 characteres. Ad compensanda verò majorum & minorum, apertarum & clausarum in lege spacia vacua, nec non librorum omnium capitumque ac versuum intervalla, concedimus, de unaquaq; pagina 40 literas. Suppositis ita non nisi 800 characteribus in singulis paginis. Subducto tamen hypothetico hoc calculo prodeunt 1092800. en numerum 277520 literis majorem Masorethico. Quid heic de Masora sentiendum? Liceat jam eadem ratione vobiscum ludere, qua vos, quicunque estis, plus satis serio nobiscum egistis, dum auctoritate hodiernæ Masoræ adducti *Jovem compilastis*: Sic enim vos: Quidquid Masora non agnoscit, est rejiciendum; sed non agnoscit in Josua plures quam 656 versus, ergo duo isti, quos quidam Capiti XXI. inserere satagunt, sunt expungendi. Jam nos, sed vestro ductu: Quidquid Masora non agnoscit, est rejiciendum; at non agnoscit in universo codice sacro plures quam 815280 literas, ergò 277520, nostro calculo, hypothesi æquissimæ superstruto, inventæ, sunt expungendæ. O bellam, si Diis placet, conclusionem, vix minus dimidiâ pentateuchi parte Oracula sacra spoliantem! Quod autem in tota Genesi non ultra 4345 literas reperiri Masora asserit, de eo jam nihil quidquam dicere lubet, cum erroris speciosam excusationem invenerit Buxtorfius, magnus illa hodierna Masoræ Patronus, dicendo in sua *Tiberiade part. I. c. XVIII. id intelligendum de ultima libri Sectione, non de literis totius libri*, quod faciles damus Viro Maximo justa & aqua postulant; nihilo tamen feciis, eadem methodo, quâ supra totius Codicis, Geneseos quoque literas numeravimus, non ut erroris convinceremus hunc Masoræ numerum, nimirâ suâ parvitate ipsum suos errores satis ac super prodentem, & præterea Buxtorfii studio & industriâ vel protectum vel excusatum; sed ut constet, quid de illo numero sentiendum, quem eruditus iste & emunctæ naris apud Gallos

Gallos Criticus Rich. Sim. in Codice MS. Perpinianensi se deprehendisse testatur Crit. Sac. lib. I. c. 20. J' ai pourtant vu un Manuscrit de Perpignan, ou cette partie de la Masore est rapportée avec plusieurs autres. Et à fin qu'on n'en doute pas, j'en produirai le dénombrement, de la maniere, que je l'ai lu dans cet exemplaire manuscrit. Les lettres de la Genèse sont au nombre 78100. Nos, rudi nostrâ pervestigatione, ad methodum supra indicatam, deprehendimus 70400 literas, accuratiori instituto calculo, fortasse propius ad numerum citati codicis accessuras. Judicet nunc eruditus Lector, annon magis æquum sit, ut ex ejusmodi codicibus restituatur, quantum fieri poterit, collapsa hodierna Masora, quam ut hujus ductu, ne dicam an cœco furore hostilis vis ipsis oraculis Divinis inferatur. Agnoscimus lubentes cum Augustino, Judæos fuisse capsarios Dei, ὅτι ἀντοῖς ἐπεινόμενοι τὰ λόγια τῷ Θεῷ; sed postquam hæc eadem oracula gentibus quoque commissa, & per singularem Numinis favorem linguae Hebrææ studium inter Christianos ita vigere cœpit, ut suis oculis videre possent, iniquum esset, si diutius nobis imperitare postularent Judæi; Indignum nostra libertate colla ulterius pristinæ servituti præbere. Si monstrare nobis possent Masorethicorum laborum exemplum, opere ipso istum præstans usum, quem intendisse perhibentur hujus Operis auctores, quicunque demum fuerint, gratum nobis esset, & ultiro amplectemur illud tanquam סֵד מָסֹרָה Sed Masora, ut cum Viro sine controversia magno Joh. Hen. Majo loquar, non amplius eum habet usum, cuius gratiâ illud studium susceptum olim fuit, ut contra corruptionem textum, quem vocant, præmuniat, cum ipsa jam sit Masora corruptissima, mutila & varie interpolata, adeo ut ea potius emendatione opus habeat, quam ut emendationi inferiat. Vid. Vit. Reuchlin. p. 534. Sed ne quis existimet hac ratione damnari à nobis eos, quos hodie habemus Masorethicos

thicos labores , agnoscimus ultro singulare hos mactandos laude ; agnoscimus insuper Masoram hodiernam , quantumvis in multis corruptam , & utinam non immedicabilem , nihil minus insignem in multis afferre fructum , car bien qu' il soit presque impossible de la restablir entierement , on ne doit pas pour cela la rejeter , puisqu' elle contient quantité de regles tres-utiles , ut loquitur idem Richard. Sim. Masora nec superstitionis cultor , nec juratus hostis Crit. Sac. lib. 1. c. XXV. Optamus igitur , si cui volupe est ulterius quid in Opere utilissimi hujus instituti restituendo , & forte etiam continuando tentare , ut oneri non succumbat . Sed fortasse in fatis non est (providentiam Divinam loquor , quæ fata nostra regit) ut tam perfecta & integra nobis sistatur hæc sacra critica , ut jure & merito quodam proprio sepes Scripturæ Sacræ dici queat , ne , quod benignitat & providentia Divinæ , veræ tam Codicis Sacri , quam totius universi sepi , debetur , nobis nostrisque operibus tribuamus . Eo namque nostri temporis processit temeritas & impudentia , ut nesciam plane quid non a se effici posse certum quoddam hominum genus & falso sibi persuadeat & aliis temere promittat ; & quidem ea arte (si dolus ars dicendus) ut qui eos non noverit (notis enim in novæ hujus pietatis venatu sunt derisi) ipsos juraverit surrexisse Apostolos , primæque Ecclesiæ Martyres in vitam revocatos ad nescio quæ miracula ne dicam an monstra producenda . Sed manum de hac tabula . Ad Caput igitur tertium , beneficio Dei , nos jam conferimus .

CAP. III.

CAP. III.

Ostenditur Masoram finalē libri Josuæ
falsam esse.

§. I.

Dimanasse lacunam *capitis XXI. Josuæ* ex Masora, nec non quibusdam manuscriptis codicibus in Biblia Veneta; ex Venetis in Basileensia; ex his omnibus vero in Athiana, ex Athianis in nonnulla ad horum exemplum descripta, necesse est agnoscant Eruditi omnes; idque etiam ex Superioribus quodammodo patere confidimus. Quid de *Masora hodierna* sentiendum, qualitercunque supra est dictum. Eam itaque, ut testem male fidam, obque vitia sua non imerito suspectam, aliis defendendam, utinam & emendandam relinquimus. Quod autem ad manu exaratos Codices attinet, non diffitemur, hiatum hunc plurimis abhinc seculis, ab Viris doctis, in *quibusdam* exemplis esse observatum. Sed cum à particularibus ad universalia non liceat argumentari, absurdum esset, si quis inde concludere vellet, eum ubique fuisse deprehensum. Nec Auctoritas R. David Kimchi, dicentis hos versus in nullo accurato codice à se repertos esse, ita adversæ parti favet, ut sententiam nostram penitus infringat. Afferit enim deprehensos fuisse in *quibusdam*, è *quibusdam* ex punctos. Quid aliud hinc deduci potest, quam æque certum nobis esse, tempore Rabbi D. Kimchi hos versus ex omnibus non fuisse exclusos codicibus, quam certum Bombergiis, Buxtorfiis, Leusdeniis &c. hos eosdem in omnes non fuisse receptos? Quod autem pro exemplis minus correctis ea pronuntiaverit, quæ hos agnoverint, non usque adeo nos movet. Adhuc enim sub judice lis est, quo intuitu haec eadem non satis accurata visa sint huic Judæorum Doctori, Masoræ

foræ non minus quam cetera suæ Gentis caterva, mancipato cultori. Constat enim pro male correctis exemplis ea omnia à Judeis haberi, quæ cum eorum Masora non convenient; adeo ut non veriti sint manus violentas inferre antiquissimo cuidam codici, in usus R. Hannasi Theodori Levitæ, per Mosen Cohen, quingentis abhinc exaratum annis, eradendo scil. ex eo duo hæc commata, non alio fine, quam ut exemplar hoc, teste Rich. Sim. longe nitidissimum, ad Masoram suam sive componerent sive distorquerent; ut cetera violentiæ judaicæ in hunc codicem signa præteream, quæ tamen legi merentur Crit. Sac. cap. XXII. Leguntur quoque affirmante eodem Richardo Sim. in quibusdam bonæ notæ Hispanis Codicibus; item in duobus Bibliothecæ Electoralis Brandenburgicæ, nec non in Codice Anhaltino-Dessaviensi, quibus usus est Daniel Ernest. Jablonskius, cum sua Berolini procuderet Biblia. De origine autem hujus lacunæ si quid divinandum, vero per quam simile est, descriptores, ob eandem in hoc Capite vocem וְנִזְבַּח toties repetitam, nescientes præterisse hæc commata, cum aliis, ab eadem hac voce incipientibus, facillime confundenda. Sed jam ad impressos Codices.

§. II. Agnoscimus ea, quâ par est, animi gratitudine, curas eorum, per quas typis mandata sunt sacrosancta hæc oracula; & quo quisque eadem publicæ luci correctiora exhibuerit, eo quoque major laus & gloria fas est ut eum consequantur. At quoniam nulla hactenus tam emaculata orbi erudito oblata est editio, ut pro authentica recipi debeat, indignum esset libertate christianâ, si pateremur obtrudi nobis certarum officinarum codices, cœcâ obedientiâ agnoscendos. Äquissimum igitur postulatum est, ut codices, quorum impressiones pari diligentia & cura paribusque manuscriptorum subsidiis procuratos esse constat, ut pari quoque iidem gaudeant auctoritate. Iniquissimum contra, si forte

forte dissensus aliquis inter ejusmodi codices existat, ut is
 alterius solius mutu & imperio dictatorio componatur. Quapropter,
 si idoneis, & ex ipsa rerum circumstantiarumque
 natura petitis argumentis pars altera justitiam suæ causæ de-
 monstrare possit, æquum & justum est, ut sententiis omnium
 proba reputetur. Si aptos insuper suæ innocentiae testes ad-
 hibere queat, eo gloriosus. Causa, quam nos heic peragen-
 dam sumus aggressi, utroque modo, Deo rem bene vertente,
 defendetur. Testes autem primum producemos, quoniam
 in digitavimus velle nos ad codices impressos transire. Co-
 dices igitur codicibus opponantur. *Venetis & Basileensibus*
 objicimus, per postulatum nostrum, *Opus Regium Antwerpi-
 ense & Biblia Polyglotta Anglicana*, fatentibus harum editio-
 num historiis, non minorem curam, diligentiam, manuscrip-
 torumque exemplarium copiam adhibitam fuisse in his pu-
 blicandis, quam in procurandis olim Venetis Basileensibusque.
 Si enim placuerit B. Lectori consulere stupendorum horum
 operum præfationes & prolegomena diffusissima, facillimum
 ipsi judicatu erit, ex auspiciis, munificentia, studio, labori-
 busque, quibus procurata sint vasta hæc & plus quam magni-
 fica opera, an quidquam hoc in negotio, in hunc usque diem
 editum sit, quod cum his componi debeat. In his tamen
 utrisque hi versus comparent. Comparent quoque in *Aria
 Montani* Bibliis, ex eadem Plantinianâ, qua ipsum regium
 opus, officinâ, eodemque quo illud, anno, scil. 1571, emissis.
 Recepti quoque sunt in codicem *Felicitis Pratensis*, teste *Masio*,
 vid. *Drusii loca difficiliora Sac. Scripturæ*; quam editionem
 eo fine non adducimus, ac si astruere vellemus eam inter cor-
 rectissimas numerari meruisse, quamquam hoc ipsum non tem-
 ere negandum; nam judicia *Eliae Levite & Buxtorfi* de
 eadem, respiciunt solum Masoram, quod ex superioribus fa-
 tis conitare existimamus, sed ut pateat *Bombergium*, cuius
 cura

cura edita sunt hæc Biblia, antequam passus esset oculos sibi
fascinari ab Rab. Jac. ben Chajim, agnovisse hos duos versus,
& sine dubio in plurimis manu exaratis codicibus, eos depre-
hendisse. In Codicibus inquam manu exaratis; hoc namque
tempore impresa exemplaria admodum rara erant, utpote
nondum hac arte, magis quam tribus in universo orbe pu-
blicatis hebræis codicibus. Reperiuntur quoque in Bibliis,
Robberti Stephanii curâ in 16^{to}, judice *Buxtorfio in Biblioth.*
Rabbin. correctissime 1545. excusis. Quin & ipse *Menas-*
seh ben Israel, Judæus, in ipsa illa urbe, ubi *Leidenius*,
Christianus, διὰ τὸ Φόβον τῶν Ἰσδαίων non ausus inserere hos
Versus (timebat enim ne suus Athias incurreret odium Gen-
tis suæ, vid. *Praef. Bibl. Athian.*) eosdem inseruit suæ edi-
tioni 1635 adornatae. Pluribus recensendis non inopia, sed
copia laborantes superedemus.

§. III. Progredimur jam ad *Versiones*, seu Codicis He-
bræi in alias linguas translationes; quæ licet eam non ha-
beant vim, ut dijudicandis hujusmodi controversiis solæ suf-
ficiant, nihilo tamen minus, tanquam auxilia, in aciem ab
eruditis certum est eos produci. Quantum igitur ad has,
nullum agnoscunt in hoc Josuæ capite hiatum. Habent e-
nim hos versus Chaldæa, LXX. Interpretes, Syriaca, Arabi-
ca, Vulgata, imo latinæ reliquæ omnes; omnes, ausim dicere, Vernaculae omnium nationum totius Europæ. Si ve-
rò in futuro, per Dei gratiam, harum paginarum examine
publico, una vel altera translatio, quæ decantatissimos hos
versus non agnoscat, monstrari possit, tantum abest, ut inde
moveamur, ut potius id longe nobis gratissimum futurum
confiteamur; certo certius scientes, quam parum unus al-
terve translatus Codex tam firmo septis præsidio nocere pos-
sit. Quod autem B. *Augustus Pfeifferus* in vèxatis suis du-
biis asserit, hos versus frustra quæri in Hebræis, Chaldæis,

Syris & Arabicis Codicibus, imò in ipsa vulgata versione, ingenue, & quidem publice fateor, me prorsus non percipere. Nam in Hebræis manu scriptis exemplis, tam olim, quam etiam nunc hodie eosdem repertos esse, supra est demonstratum; item in correctissimis impressis. Quibus verò rationibus adductus eos ex Chaldaica exclusos pronuntiaverit, judicium esto penes eruditos. Verum quidem est in Chaldaica paraphraſi, quam Bibliis Basileensibus imprimi curavit *Buxtorfius*, eos non reperiri. Sed quis, quæſo, tam est puer in dijudicanda hæc controversia, ut evolvere velit hanc editionem, ea ſpe, ut hos versus in illa inveniat? num vero ſimile ut *is*, qui non veritus eſt eos ex ipsis fontibus exantlare, in rivos deducere? licet itaque ab Chaldæo paraphraſte Bibliorum Basileensium non agnoscantur, agnoscuntur tamen in aliis ejusdem Paraphræeos editionibus, quas alii procuravere Viri, non minori forte potestate labores ſuos canonizandi, ut ita loqui liceat, pollentes, quam *Buxtorfius*. Extant namque tam in Operे Regio quam Anglicano. In Syra vero & Arabica quanquam hæc commata non inventa ſint ab *Pfeiffero*, inventa tamen ſunt ab aliis, vid. *Biblia Illustrat.* *Cal.* item *Polz Synopsi Criticorum* &c. Adeoque verum manet: *Plus vident oculi, quam oculus.* Si propriis oculis hos versus in his versionibus videre cupiat eruditus Lector, adeat Biblia Anglicana. Quod vero in Versione vulgata non reperiri hæc commata afferit idem Vir Maximus, pro ludo fortaffe & joco habendum. (quanquam heic ludo & joco nullus locus; agitur enim de integritye Codicis Hebræi) Quotquot ego unquam vidi editiones hujus versionis, eos concordissime approbant; perque hos ipſos dies eosdem deprehendi in monasterii cuiusdam Bibliotheca, ſenio misere detritâ, in tribus Codicibus, quorum unus 1542. impressus erat; ceteri quoniam principio & fine carerent, de eorum antiqui-

tiquitate nihil constat; quantum tamen ex characteribus & facie ipsa conjici potest, videntur non paucioribus gravati annis; ut taceam hæc commata & in Anglicana & Regia editione haberi. Et posito, & concessso quoque, ut liberaliter agam, posse Pfeifferum ostendere in suas partes transisse unum alterumve codicem vulgat: Versionis, quomodo *unum vel alterum latinum exemplar prejudicet reliquis omnibus?* ut eodem modo, iisdemque verbis affari nobis liceat Pfeifferum in demonstranda horum versuum justa præsentia, quibus ipse in frustra demonstranda illorum justa absentia, nos affatur. Sed recedendum a Pfeifero.

§. IV. Denique, si Viri docti, tam Theologi quam Philologi in arenam producendi, justum pene, ut ita dicam, exercitum efficient in nostris pugnaturn castris. Adeo ut mirari convenit, ab iis etiam auxilia nobis mitti, qui alias Sacramento addicti sunt iniquo se nostros morituros hostes. Præstantissimi namque tam Lutherani quam Pontificii, ceteroquin inter se satis dissidentes, heic pedibus concorditer in easdem eunt partes. Sed quoniam longum hos commemorare, en unum alterumve Duce, pro vindicandis his versibus egregie pugnantem. Inter Nostros est Andreas Osiander in notis suis ad Sac. Scripturam, nec non magnus ille Calovius in Bibliis illustratis &c. Ex castris Pontificiorum prodeunt Cornelius a Lapide cum Bonfrerio, nec non Richardus Simonius inter Criticos Galliæ longe celeberrimus &c. &c.

§. V. Consulimus hactenus varios tam manu exaratos quam arte typographica expressos Codices, nec non Versiones, Virosque eruditione præstantes; eorumque concordi suffragio & consensu reduximus, quod inique nobis heic loci suffurata sunt Masoræ hodiernæ exemplaria. Quod superest, ipsa divina Oracula de se ipsis consulamus, responsa

nōbis datura non exēcis involuta tenebris , ut oracula Delphī quondam consulta , nec ambiguæ & nescio ad cuius Petri versatili obnoxia interpretationi , sed adeo manifesta & certa , ut sine Interpretē ab omnibus intelligi possint . Re- censentur enim in hoc XXI. capite urbes , quas mandato Dei Num. 35. Levitis dare tenerentur ceteræ tribus Israëliticæ . Hæ ipsius Spiritus Sancti calculo collectæ versu 41 , sunt XLVIII. Admissā verò hac lacunā , desiderantur IV. urbes , quod e diametro , uti dici solet , cum summā , a Spiritu Sancto expressā , pugnat . Adeo ut cum admiratione & volu- ptate cernere liceat , vix ante commissum esse hoc sacrile- gium , quam detegeretur ; quod enim turpiter furati sunt vers. 36. & 37. cum ignominia , divino examine convicti , re- stituere tenentur vers. 41. vel 39. secundum editiones , his commatibus mutilatas . Afferitur quoque versu 7. datum iri Meraritis duodecim urbes ex tribubus Ruben , Gad & Sa- bulon ; quod duplice ratione evertre conantur , qui hos ex- plidunt versus . Iis quippe ablatis nec Rubenitas quidquam dedisse constat , nec numerus duodenus sibi respondet . Hinc tandem concludimus :

Quæcumque Loca Sacrae Scripturæ Vet. Testamenti ta- lia sunt , ut

- (1) Ex pluribus , antiquissimis , optimaque notæ manuscri- ptis Hebræis Codicibus , singulari Dei curâ & pro- videntiâ , Judæorumque accuratâ descriptione & re- cognitione ad nos transmissis ,
- (2) Accuratissimis impressis codicibus ,
- (3) Versionibus omnibus tam Orientis quam Occidentis ,
- (4) Sententiâ Virorum Doctorum sine præjudiciis loca Sa- cræ Scripturæ examinantium ,
- (5) Ipsius denique Spiritus Sancti calculo manifestissimo demonstrari possint , genuina sunt & retinenda .

At

At Versus tricesimus sextus & tricesimus septimus Capituli XXI Josuæ tales sunt, ut ex superioribus constat,
Ergo hi duo Versus omnino retinendi, & per consequens
Masora finalis, historiæ Josuæ subnexa, erronea, Quod
in tota hac nostra Dissertatione Erat Demonstrandum.

Onnipotens & æternum benedicte DEVS, cuius singulari misericordia sanctissimi Verbi Tui thesaurum possidemus, Tibi suspiriis tenerimis eundem commendamus, ut non solum tutum præstes ab externo hoste, in campum apertum audacter prodeunte, sed & securum à clandestino, pacis & pietatis togâ, tamquam testudine securâ tecto, occultos agente cuniculos. Vulpes enim in monte Sionis ambulant, vastantes vineas, tamque astute sua confundentes vestigia, cum Bernardo loquor, ut quâ vel intrent vel exeant, haud facile queat ab homine deprebendi. Tu autem Domine, qui novisti tam malorum quam bonorum introitum & exitum, fac ut capiantur nobis parvæ istæ vulpes, nam vinea nostra floruit!

SOLI DEO GLORIA.



PER-

PER QVAM EXIMIO CLARISSIMO QVE
DOMINO ISERO,
AVDITORI SVO DEXTERIMO
FIDELISSIMO QVE

S. P. D.

CHRISTOPHORVS Sonntag/
SS. Theol. D. Prof. prim. & Antistes
Altdorfianus.

Non reperio, qui gratulantium è chorēis me subducam,
ISERÉ Optime, dum Te Altdorfina Sophie renunciat Ma-
gistrum. Sospitet itaque Altissimus hanc, quam meruisti,
Lauream: Sospitet integrum Tuorum Studiorum periodum: So-
spitet imprimis notitiam, quam ex meis quoque scholis deportasti,
Theologicam, ut hanc, coelesti suæ gloriæ & Ecclesiæ orthodoxæ
incrementis dicatam, porrò indies excolas. De probitate Tua
credidero vel Timonem μισθίων abunde convinci. Perge igi-
tur, maestæ nova virtute; Sic ad astra scanditur. Sufficiat Dominus
mesis dilectissimæ Patriæ Tuæ multos imposterum ISEROS, hoc
est, Tui similes, ut res Ecclesiæ moribus antiquis ibidem perstent
intaminatae! Sic tam Keri, quam Cefib inter se convenient, &
Masoretharum lectiones non anomalicae, verum analogicæ undi-
quaque percrebescant. Scribebam Altdorfi Noricorum de 19. Jun.
1708.

Jc 335

Vd 18




56.



Vd 17

NL

B.I.G.



an 2627

Q. B. F. F. S.
DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA,
qvâ
MARE MASORETHI-
CVM INFIDVM,
Specimine notabili, monstratur,
INDVLTV
AMPLISSIMÆ
FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ
IN CELEBERRIMA NORICORVM ACADEMIA,
SVB PRÆSIDIO
PRÆNOBILISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE
VIRI ac POLYHISTORIS,
DN. DANIELIS GVILIELMI
MOLLERI,
Comitis Palatini Cæsarei, Philosophiæ
primæ & Historiarum Professoris Publici,
nec non
Bibliothecæ Altdorfinæ Præfecti Celebratissimi,
Spectatisimique h. t. Decani,
PRO OBTINENDIS IN PHILOSOPHIA
SVMMIS HONORIBVS
Examini publico exposita
JOHANNE ISER, Wermelandia-Sveco,
ad Diem VI. Calend. Julias A. MDCCVIII.
Literis MAGNI DANIELIS MEYERI.

